



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De ministerio presbyterorum, vel quid eis commissum sit. Iv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Ex epist. Alexād. papæ, fra trib. per Aegypt. missa.* **A**quam enim sale conspersam populis benedicimus. Ut ea cuncti aspersi sanctificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, quanto magis aqua quæ sale aspersa diuinisq; precibus sacrata et populum sanctificat atque mundat? Et si sale asperso per Helizeum propter sterilitatem aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacrata aqua sterilitatem rerum aufert hereticarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatum versutiis hominem defendit?

*Ut missæ peculiare in diebus sollemnibus non fiant.*

Caput LIIII.

*Ex dictis August.* **E**T hoc attendendum est, ut missæ peculiare, quæ per dies solennes à sacerdotibus fiunt, non ita in publicis fiant, ut per eas populus à publicis Missarum sollemnibus quæ hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur: quia pessimus usus est apud quosdam, in dominicis diebus, siue in quibuslibet festiuitatibus mox Missam celebrare, quam quis, & pro defunctis sit, eum audierit abscedat, & per totum diem à primo mane ebrietati & comestationi potius quàm Deo deseruiat. Admonendus est populus, ut ante publicum peccatumque officium ad cibum non accedat: sed omnes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam Missarum sollemnia, & prædicationem auditori cõueniant: & ut sacerdotes Missam hora tertia celebrent, ut populus à publicis sollemnibus non abstrahatur. Sed sacerdotes qui in circuitu vrbs aut in eadem vrbe sunt, & populus, ut prædiximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant, exceptis domesticis sacris sceminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterij contineri.

*De ministerio presbyterorum, vel quid eis commissum sit. Cap. LV.*

*Ex dictis eiusdem.* **V**os presbyteri veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus: pro his verò quos verbis & exemplis lucrati fuerimus præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim à domino dictum est, Vos estis sal terræ. Quod

si populus fidelis cibus est Dei, eiusdem cibi condimētum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè coniunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri ceterorum discipulorum domini vicem tenent. Et illi tenent gradum summi pontificis Aaron, isti verò filiorum eius. Vnde oportet vos semper memores esse tātæ dignitatis, memores vestrae consecrationis memores sacræ, quam in manibus suscepistis, vñctionis: vt nec ab eadē dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro vnguine delibutas peccando polluat: sed cordis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplū bene viuendi præbētes, his quibus præestis, ducatum ad cælestia regna præbeat.

*Vt singuli presbyteri singulos habeant clericos. Cap. LVI.*

**V**T quisque presbyter qui plebem regit, clericum habeat qui secum cantet, & epistolam & lectionem legat, & qui scholam possit tenere, & admoneat suos parochianos, vt filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.

*Quod presbyterorum fides primū discutienda sit.*

*Cap. LVII.*

**P**rimo omnium discutienda est fides sacerdotum qualiter credant, & alios credere doceant. Ibi & exempla proponenda sunt, quatenus à creatura creator quantulumcumque possit intelligi.

*De eadem re.*

*Cap. LVIII.*

**H**ortamur vos paratos esse ad docēdas plebes nostras. Qui scripturas scit, prædicet scripturas. Qui verò nescit, saltem hoc quod notissimum habet plebibus dicat, vt declinent à malo, & faciant bonum, inquirent pacem, sequantur eā: quia oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit, quòd non habeat linguam vnde possit aliquem edificare. Mox enim vt quemlibet errantē viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut obsecrādo, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur.

¶